OBSERVATIONVM ECLECTICARVM *DE* METAPHYSICA LEIBNITIO-WOLFFIANA *SPECIMEN II. COSMOLOGICVM.*

§. I.

Cosmologia transcendentalis, quam Wolffius condere cœpit, *a*) de universo materiali doctrinas maxime arduas tradit in Pnevmatologia & Theologia Naturali necessarias *b*); Bulffingero autem Viro eruditissimo scientia est spiritualis æque ac corporei Mundi, atque harmoniæ inter illius leges Ethico-Logicas & hujus Phisico-mechanicas *c*).

a) ut ipse refert Comment. §. II.

b) ibid. transcendentalem sine dubio appellat 1) quod de Mundis possibilibus aliis, adeoque de Mundo in genere & abstracto agat. 2) quod transcendentalis disciplinæ h. e. Ontologiæ doctrinas copiose applicat: ast omnem de Mundo materiali doctrinam capiti Physicæ s. Somatologiæ de Mundo adscribo; namque præter Theologiam Naturalem nullam novi scientiam, quæ objectum suum non consideret in abstracto; omnium autem scientiarum fundamenta sunt ontologica, omnes igitur essent transcendentales, dein Mundum existentem nonnisi unicum novimus, ficta igitur, non abstracta tantum est idea Mundi in genere.

c) in Comm. de Harmonia præstabil. §. III. sqq. & Dilucidat. de Deo, Anima, Mundo §. 13. ast pace Viri Humanissimi dixerim, si vel maxime, quæ in gratiam Harmoniæ præstabilitæ proferuntur, firmo starent talo, leges tamen Ethico-Logicas in Pnevmaticis, Physico-Mechanicas in Physicis doctrinis quærendas, & propter meram comparationem ac harmoniam vel disharmoniam harum legum peculiarem scientiam comminiscendam non fore.

§. II.

Mundus a Wolffio definitur series possibilium simultaneorum & successivorum inter se connexorum *a*); quæ definitio cumpræsuppositis Ontologiæ Wolffianæ arcte cohæret, latior tamen est definitio *b*). Ast ens ceu existens, non tantum ceu possibile esse considerandum, supra ostendi; deinde hujus inprimis existentis Mundi, ceu unius individui entis per aggregationem ratio est habenda, unde, si opus est, facilis erit ad alios